



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Memoriale Pastoris boni munus brevi facilique methodo comprehendens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

missa tamen plerumque plus proficit; sed & Cicero agnovit, non modò liberale esse paululum de jure suo cedere, sed interdum etiam fructuosum.

Qu. 4. Quid circa pramiationem observandum sit? Resp. sequentia tria. Primò, ut agnoscat, & æstimet, & nonnunquam etiam moderatè collaudet subditorum diligentiam atque conatum; sic enim & Christus fecit, dum ad Apostolos suos Luc. 22. dixit: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum. Secundò, ut victum necessarium liberaliter offerat; si enim bovi trituranti olim os alligari vetuit DEUS, quantò magis Homini & Fratri necessarium victum subministrari volet; certè hìc vel maximè locum habebit illud S. Lucæ: Quà mensurâ mensi fueritis, eadem remetietur vobis; & qui parcè seminat victum, parcè & diligentiam & fidelitatem Famulorum metet. Tertiò, ut non modò salarium liberaliter, sed etiam fideliter & maturè offerat, cùmque in finem illam S. Tobix c. 4. saluberrimâ doctrinâ sibi applicet: Quicumque tibi operatus aliquid fuerit, statim ei mercedem tribue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat; dignus est enim Operarius mercede sua. 1. Tit. 5.

MEMORIALE

PASTORIS BONI
MUNUS BREVI, FACILIQUE
METHODO COMPRE-
HENDENS.

Hactenus paulò fusiùs ea, quæ ad bonum, omnibùsque Numeris absolutum Pastorem requiri videbantur, explicare conatus sum; quia tamen non parùm ad ejusmodi doctrinas firmiùs memoriæ imprimendas conducit, si portiora earundem capita in Compendium contrahantur, totâque materia sub uno quasi aspectu proponatur, ideo ne hoc quoque subsidio defraudarem Pastores, hoc Memoriale Appendicis loco subungere volui, id unum vehementer desiderans, ut, quicumque Pastoris munus suscipere decreverunt, Memoriale hoc velut absolutissimam Pastoris boni Ideam frequenter &

ter & accuratè inspiciant, illàque DEI ad Moysen Exod. 31.
verba sibi quoque dicta persuadeant: *Aspice, & fac secundum
exemplar, quod tibi monstratum est.*

§. I.

De Fine & Instrumentis Pastoris.

FINIS.

DEI honorem quærere,
Vt magis dilatetur. a.
Seipsum non negligere,
Vt anima salvetur. b.
Et Proximum perficere,
Vt Charitas seruetur. c.

a. Nam de Pastore quoque dicit DEUS. *Quoniam
electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus
Regibus, & Filiis Israël, Act. 9.* *b.* *Quid enim prodest homini
si uniuersum mundum lucretur, anima uerò sua detrimentum
patiatur? Matth. 16.* *c.* Hinc quippe oritur summa digni-
tas Pastoris; cùm, teste D. Dionysio de cæl. Hier. c. 3. *Optimum
diuinorum diuinissimum sit, cooperari DEO in salutem ani-
marum.*

Instrumenta Pastoris.

Sufficiens Scientia
Ad munus adimplendum. a.
Major longè prudentia
Ad reuè procedendum. b.
Et summa Sanctimonia. *c.*
Ad fructum faciendum. d.

a. Ne audiat illud Osee c. 4. *Tu repulisti scientiam, &
ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* *b.* Juxta illud
Christi, Matth. 10. *Ecce ego mitto uos sicut oves in medium
luporum, Estote ergo prudentes sicut serpentes.* *c.* Ut impleat
illud DEI monitum: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Do-
minus DEVS uester, Levit. 19.* *d.* Sic enim uelut palmarum
jungitur cum Christo uelut Vite, & sperare potest imple-
ri, quod idem Christus dixit: *Qui manet in me, & ego in
e, hic facit fructum multum, Joan. 15.*

S. II.

Observanda erga superiores Personas.

ERGA DEVM.

Fides viva. a.

Ob summam veritatem.

Spes firma. b.

Ob summam fidelitatem.

Charitas tenerrima. c.

Ob summam bonitatem.

a. Quâ vivaciter credat DEUM, qui est *Vita, Veritas, & Vita*, Joan. 14. non nisi verissima revelantem, omnia bone eminentissimo modo continentem (juxta illud Moyſi dictum: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Exod. 33.) ubique & in omnibus existentem (*in ipſo enim vivimus, movemur, & sumus* Act. 17.) ut studeat ambulare coram DEO, memineritque semper illius dicti Christi: *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Matth. 25. b. Quâ firmiter speret, copiosum gratiæ auxilium, felicem operum successum, & copiosum laborum præmium. c. Agendo & patiendo, quæ vult DEUS, quomodo vult, & quia vult juxta notû distichon:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,

Qua vult, quòvis modo vult DEVS, & quia vult.

Domine, doce me (semper) facere voluntatem tuam
Psal. 142.

Erga Christum.

Charitas tenerrima

Propter Redemptionem. a.

Gratitudo maxima

Propter vocationem. b.

Imitatio studiosissima

Propter perfectionem. c.

a. Hoc enim beneficium, teste S. Bernardo, *Amorem nostrum omnino sibi vendicat, devotionem nostram blandius alligat, insidius exigit, arctius stringit, & vehementius afficit.* Quam præstabit, si Christum sibi dicentem imaginetur, & exaudiat: *Obsecro vos ego vincens in Domino* (imò &

Instructio IV.

R.

PRO-

mortuus pro vobis) ut dignè ambuletis vocatione, quã vobis
 ostis. Eph. c. 4. Satagentes, ut per bona opera certam vestram
 vocationem & electionem faciatis. 2. Petr. 1. c. Ideo, tunc
 exemplum dedit nobis, ut, quemadmodum ipse fecit, ita
 nos faciamus. Ioan. 13.

Erga B. Virginem.

Constans veneratio

Ob meritorum excellentiam. a.

Crebra invocatio

Ob Patrocinij potentiam. b.

Studiofa imitatio

Ob Virtutum prestantiam. c.

a. Quam breviter indicavit S. Anselmus de Concep-
 tione Virg. dum ait: Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile;
 omne enim, quod est, aut supra te est, aut infra te. Super te
 solus DEVS est; infra te omne, quod DEVS non est. b. Nihil
 enim, teste S. Bernardo l. 2. in Dom. 2. post Epiph. sic potest
 potestatis eius, vel pietatis magnitudinem commendare, nisi
 forte aut non creditur DEI Filius honorare Matrem, aut
 habitare quis potest omnino in affectum Charitatis transire
 MARIÆ viscera, in quibus ipsa, qua ex DEO est, Charitas
 novem mensibus corporaliter requievit. Modicum ergo
 inquit ulterius idem Sanctus s. de aquæductu, quod est
 desideras, gratiosissimis illis, & omni acceptione dignis
 MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vult
 nere repulsam; habet enim Homo, ut Arnoldus Carnotensis
 Laudibus Virg. loquitur, Mediatorem causa sua Filium ante
 Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit
 tus & Vulnera: MARIA Christo peccus & ubera; nec potest
 ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua
 serius hac clementia monumenta, & Charitatis insignia
 c. Sic enim impetratio facilius efficitur juxta illud S. Bernar-
 di tom. 2. super missus, ut impetres Orationis eius suffragium
 non deseruas conversationis eius exemplum. Et ipse etiam
 tus gratior redditur juxta S. Hieronymi s. de Assumpt. senten-
 tiam: Igitur, dilectissimi, amate MARIAM, quam
 litis; colite, quam amatis; quia tunc verè colitis, & amatis
 imitari velitis ex corde, quam amatis.

Erga reliquos calites.

Magna reverentia,

Ob venerandam praesentiam. a.

Firma fiducia,

Ob fidelem custodiam. b.

Constans devotio,

Ob amicam benevolentiam. c.

a. Juxta S. Bernardi monitum in l. super Ps. 90. In omni angulo Angelo tuo (ceterisque Patronis) reverentiam habes, nec audeas illo praesente, quod me praesente facere non auderis. b. Quid enim, ut idem Sanctus ait l. c. sub tantis Custodibus timeamus? Fideles sunt; prudentes sunt, potentes sunt. c. Quae omnes actiones, & ad eorum post DEI & B. V. gloriam ac honorem dirigantur; & juxta exemplum ad iis datum perficiantur, nam Sanctorum est cultus pulcherrimus optima vita.

Erga Ecclesiam.

Insignis Honoratio

Per Vita sanctitatem. a.

Filialis subjectio

Per Officii fidelitatem. b.

Fortis propugnatio

Per doctrina potestatem. c.

a. Juxta illud Tobiae c. 4. Honorem habebis Matritua in omnibus diebus vita tua. b. Conformiter illi monito: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vita. Apoc. 2. c. Scientes, quoniam in defensionem Evangelij posui sumus. Phillip. c. 1.

Erga Episcopos, aliosque Superiores.

Summa reverentia,

Quia DEI Vicarij. a.

Charitas ingenua,

Quia Patres piissimi. b.

Obedientia promptissima,

Quia Pastores optimi. c.

a. Juxta illud Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit. b. Nam in Christo IESU per Evangelium illi nos genuerunt. 1.

R 2

COR.

Cor. 4. c. Hortante S. Paulo c. 13. Hebr. Obedite Praepositis vestris, & subiaccete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.

Erga Magnates.

Honoris iusti oblatio

Propter Status eminentiam. a.

Favoris conservatio

Propter virium potentiam. b.

Locutionis cautio

Propter periculi praesentiam. c.

a. Juxta illud D. Petri 1. c. 2. *DEVM timete, Regem honorificate.* b. Nam, ut sapienter quidam monuit, ad Magnates velut ad ignem, nec propinquè nimis accedendum, ne nimirum accendamus & elevemur inconstantibus favoribus; nec procul nimis discedendum, ne frigeamus defectu beneficiorum ab ipsis conferendorum. c. Hinc ipse DEUS monuit Exod. 22. *Principi Populi tui non maledices.*

§. III.

Observanda erga Aequales.

ERGA RELIGIOSOS.

Condigna aestimatio

Ob Status perfectionem. a.

Benevola admissio

Ad laborum communionem. b.

Amica gratulatio

Ob privilegiorum possessionem. c.

a. Nam Religiosus Status, teste S. Climaco gr. 1. est *Ordo & Status Angelicus in corpore materiali ac sordido consummatus; in quo, juxta S. Bernardum f. de altit. & bass. cordis, esse Angelica conversatio in corpore, in corde prophetica expectatio, in utroque Apostolica perfectio.* b. Juxta Apostolorum exemplum annuentium fociis, qui erant in alia navibus venirent, & adjuvarent eos. Luc. 5. c. Utpote, quæ & participare possint juxta illud S. Augustini: *Congaudere*

Memoriale Pastoris boni.

257

DEVS (& Pontifex) aliquam gratiam dedit, & in illo potes, quod in te non potes,

Erga alios Sacerdotes.

Concordia in affectu

Propter vinculum Fraternitatis. a.

Reverentia in Colloquio

Propter meritum dignitatis. b.

Promptitudo in obsequio

Propter titulum aequalitatis. c.

a. Ut, sicut olim primorum Christianorum, ita nunc Sacerdotum sit cor unum, & anima una. Act. c. 4. b. Juxta Ecclesiastici c. 6. monitum: In multitudine Presbyterorum prudentium sibi, & Sapientia illorum ex corde coniungere, ut omnem Sapientiam DEI possis audire. c. Quod enim vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7.

Erga Benefactores.

Beneficii agnitio

Per dignam estimationem. a.

Gratiarum actio

Per crebram predicationem. b.

Vicissitudinis exhibitio

Per obsequiorum delationem. c.

a. Nam optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum, juxta S. Chrysoft. Hom. 25. in Matth. b. Invitat quippe ad magna, qui gratanter suscipit modica, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. Cal. Ep. 4. c. Imitari enim agros fertiles nos oportet, qui multo plus reddunt, quam acceperint. Seneca in Epist.

Erga Inimicos.

Injuriae condonatio

Per divinam dilectionem. a.

Orationis oblatio

Per ignorantia pretensionem. b.

Amoris conciliatio

Per beneficiorum collationem. c.

R 3

a. Ut

a. Ut impleatur Christi mandatum Matth. 5. datum: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sicut Filius Patris vestri, qui in caelis est.* b. Dicendo cum Christo: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. c. Hoc tante Apostolo Rom. 2. *Si esurierit inimicus tuus, esuriam illi, si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbonem ignis congeris super caput eius.*

Erga Vicinos, aliosque non subiectos.

Pacis conservatio

Propter communem consolationem. a.

Jurium conservatio

Propter Iustitia defensionem. b.

Auxilij oblatio

Propter amoris obligationem. c.

a. Ut monet Apostolus Rom. 17. *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* b. *Qui enim sequitur Iustitiam & misericordiam, inveniet & vitam, Iustitiam & gratiam.* Prov. 21. c. *Nam quâ mensurâ mensi fueritis, talem remetietur vobis.* Luc. 6.

Erga Infantes.

Matrum tollat malitiam, a.

Ut rectè generentur.

Omnem gerat industriam, b.

Ut ritè baptizentur.

Gravem fuget socordiam, c.

Ut sanctè educentur.

a. Quâ metu prolis multiplicandæ aut aliâ ex causâ impediunt generationem. b. Quid enim magis congruum Pastori, quàm ut oves sibi commissas per januam Baptismi in Ovile Ecclesiæ introducat? c. Ne Parentes aut Tutores illam S. Pauli 1. Tim. 5. reprehensionem incurrant: *Si quis autem suorum, & maxime Domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Erga Juventutem.

Hanc tempestivè admone,

Ut citò confirmetur. a.

Memoriale Pastoris boni.

Parentum curam acue,

Vt piè educetur. b.

Omnem conatum adhibe,

Vt rectè informetur. c.

a. Nam, ut S. Petrus Damiani l. 1. de dedic. Eccles. ait, *Decretales Pagina, & sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post Baptismum huius Sacramenti virtutem, ne nos inermes invenciat fraudulentus ille Contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorsit.* b. Juxta monitum Siracidis Eccl. 25. *Filij tibi sunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* c. Ut scilicet cum Christo proficiat ætate, Sapientiâ, & gratiâ apud DEUM & Homines; nam *Adolescens iuxta Viam suam etiam, cum sennerit, non recedet ab ea,* teste Salomone Prov. 25.

Erga Famulos & Ancillas,

His suadeat,

Ut servant in Officiis

Mentis tranquillitatem. a.

Ut præstent in servitiis

Magnam fidelitatem. b.

Ut colant in imperiis

Herorum potestatem. c.

a. Juxta Siracidis consilium Eccl. 2. *Confide in DEO, & mane in loco tuo: facile est enim in oculis DEI subito honestare pauperem.* b. Sicut Apostolus Eph. 6. monuit dicens: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi Homibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non Homibus, scientes, quòd unusquisque, quòdcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.* c. Nam, ut S. Paulus Rom. ait, *non est potestas, nisi à DEO, Quæ autem sunt potestates, à DEO ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.*

Erga Sponfos.

Hos moneat,

R 4

Ut

Ut contrahant legitime a.

Ad damnum evitandum.

Ut fidem servent integre b.

Ad crimen declinandum.

Ut copulentur licite c.

Ad DEVM honorandum.

a. Juxta Raphaëlis Consilium Tob. 6. Accipies Virginitatem cum timore DEI, amore Filiorum magis, quam libidine ducis ut in semine Abrahæ benedictionem consequaris. b. Ut Tobias monuit Filium c. 4. dicens: Attende tibi, Fili mi, & præter Vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Adeptus enim ut S. Ambrosius l. de Abrah. c. 2. loquitur, Præsul Coniugii DEVS, quem nihil laet, nullus evadet. Ille gravibus ultionibus iniuriam inopis, contumeliam Mariti imprudentis, maritus enim iniuria Authorem, quam Custodem thalami spreverunt, non considerasse. c. Qui enim Coniugium ita suscipiunt, ut DEVM à se, & mente sua excludant, & sua libidinis concitent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet præsertatim dæmonium super eos. Tob. 6.

Erga Conjugatos.

Hos excitet.

Ut inter se concordiam

Arctissimam conservent. a.

Cum Vicinis discordiam

Vel minimam devitent. b.

Suorum conscientiam

Innoxiam procurant. c.

a. Quia Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maxime dilabuntur, juxta commune adagium. b. Quia omnis Civitas vel Domus divisa contra se non stabit, teste Christus Matth. 12. c. Id quod solida instructione, larga sustentatione, & discreta correctione obtinebunt.

Erga Mulieres in genere.

Rarissima aspectio

Propter castissima conservacionem. a.

Brevissima colloquio

Propter publicam adificationem. b.

Cautissima conversatio

Propter lapsus devitationem. c.

a. Memento, quoniam malus est oculus nequam. Eccl. c. 1.
Et quod, qui annuit oculo, dabit dolorem. b. Quia per levia
verba venit ad pessima facta, ut sapienter dixit Trithemius.
c. Quia nec Davide sanctior, nec Samsone fortior, nec
Salomone sapientior est. S. Hieron.

Erga Pauperes & Miseros.

Suavis allocutio

Ad prabendam consolationem. a.

Christiana compassio

Ad demonstrandam dilectionem. b.

Amorosa subventio

Ad faciendam sublevationem. c.

a. Si enim lingua gratiosa Eucharis in bono homine abundat, juxta Ecclesiasticum c. 6. quidni multò magis in Sacerdote? b. Quia, teste S. Gregorio in Moral. plus est compati ex corde, quam dare, quia quisquis indigenti perfectè compatitur, minus aestimat omne, quod dat; exteriora largiens, quod est extra seipsum, dat; qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei etiam aliquid de semetipso tradit. c. Sequens S. Tobie consilium; Quomodo potueris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. c. 4.

Erga Hospites.

Benevola exceptio

Propter hospitalitatem. a.

Liberalis tractatio

Propter charitatem. b.

Jucunda conversatio

Propter hilaritatem. c.

a. Juxta illud Apostoli Hebr. 13. Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci. b. Ut audire quondam cum solatio mereatur: Hospes eram, & collegisti me. Matth. 25. c. Hortante Ecclesiastico c. 35. In omni

dato hilarem fac vultum; hilarem quippe datorem non DEUM tantum, sed & homines diligunt.

Erga Hæreticos.

Affidua Oratio,

Vt vera lux luceat. a.

Manfueta conversatio,

Vt durum cor mollescat. b.

Percauta disputatio,

Vt Fides non vilescat. c.

a. Quia nemo venit ad Christum, nisi Pater cælestis miserit eum. Jo. 6. *b.* Juxta consilium S. Pauli Galat. 6. *Fratres, si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (quale utique vel maxime est Hæresis) *vos, qui Spirituales estis, huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis.* *c.* Quia, teste S. Gregorio l. 5. mor. c. 11. *miscant recta peruersis, ut ostendendo bona Auditorores ad sepevertant, & exhibendo mala latentis peccata corrumpant.*

Erga Defunctos.

Creberrima recordatio

Propter gratia societatem. a.

Tenerrima commiseratio

Propter pœna acerbitatem. b.

Celerrima subventio

Propter auxiliij necessitatem. c.

a. Hinc ad Sacerdotes præcipue clamant! *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. 19. *b.* Quia, teste S. Augustino in Psal. 37. *ignis ille, etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est, luperatque omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest.* *c.* Si enim, dum cadit Atrox, omnes eum sublevare festinant: & dum porcus cadit, omnes alii porci accurrunt, an non, dum clamat inter tormenta Fidelis, celerius subveniendum erit? S. August. l. 44. ad FF. in Breuo.

§. IV.

Observanda erga Inferiores.

ERGA

ERGA PAROCHIANOS.

Amor universalis

Propter causa similitudinem. a.

Zelus prudens

Propter officii amplitudinem. b.

Vita exemplaris c.

Propter suasionis aptitudinem. d.

a. Juxta illud S. Jacobi c. 2. Nolite in Personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESU Christi gloria. b. Quia Sacerdos est fidelis ille servus & prudens, quem Dominus super familiam suam constituit. Matth. 24. c. Ut ad imitationem Magistri sui incipiat facere & docere. d. Quia illa vox libentius Auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia, quod loquendo imperat, ostendendo adiuvat, ut fiat. Ut bene S. Gregor. in Pastor. p. 2. c. 3. dixit.

Erga Domesticos.

Impera discretè negotium

Propter infirmitatem. a.

Exige mansuetè supplicium

Propter charitatem. b.

Redde fideliter primum

Propter aequitatem. c.

a. Quia, ut sapienter quidam dixit, mortalium vires ut plurimum debiles fervoris & laboris excessu franguntur, exilium continuatione roborantur. b. Nam, ut S. Prosper l. 2. de vit. contempl. ait, Leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem & increpatione nimia offensus, neque increpationem recipit, nec salutem. c. Quia dignus est Operarius mercede sua. 1. Tit. 5.

§. V.

Observanda erga seipsum.

Erga suam Personam.

Cura Oeconomiae sobria

Propter maiorem adificationem. a.

Cura

Cura corporis moderata

Propter faciliorem operationem. b.

Cura animæ præcipua

Propter potiorem æstimationem. c.

a. Quia, ut rectè Petrus Bleffensis ait, *Vacuum à secularibus oportet esse animum divina servitutis obsequio deditum. Magnis addictus es, noli minimis occupari; minima vilia sunt, quacunque ad seculi questus, & non ad lucra pertinent animarum.* b. Unde S. Hieronymus bene monet: *ex vilissimis etiam cibus vitanda est satietas; nihil enim ita detrahit animum, ut venter plenus & exarsuans.* c. Si enim animam negligamus, nec corpus salvare poterimus, inquit rectè S. Chrysostomus. *Qui ergo ordinem servat, & quod primum est, colit, etiamsi negligat, quod secundum est, per primum salutem salvabitur & secundum.*

Erga Vocationem.

Magna æstimatio

Propter dignitatis eminentiam. a.

Perfecta cognitio

Propter muneris exigentiam. b.

Studiofa executio

Propter præmii excellentiam. c.

a. Quam clarè sequenti sententia Cassiodorus in Cælo mundi expressit: *Sacerdos DEI, si altitudinem cali contempseris; alior es: si pulchritudinem Solis & Luna; pulchritudinem discretionem Angelorum, discretior es: si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo Creatore tuo inferior es.* b. Si enim, ut S. Leo loquitur, *in aliis vis tolerabilis videtur ignorantia (eorum, quæ ad officium pertinent) quomodo excusari poterit in eo, qui se Magistrum infantium, & Doctorem sapientium profiteretur? ignorans utique ignorabitur, imò & multos ignorare faciet, & ignorari.* c. Ne audiat, quod miles ignavus Alexandri nomen gerens à Rege Alexandro audire debuit: *Aut nomen Alexandri deponere, aut Alexandro dignum gerere.*

Erga Media.

Studium Orationis avidissimum

Ad obtinendam gratiam. a.

Memoriale Pastoris boni.

265

Studium mortificationis continuum

Ad purificandam conscientiam. b.

Studium humilitatis necessarium

Ad cavendam vanam gloriam. c.

a. Nam ut bene S. Augustinus Hom. 40. ait: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare. b. Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis. Galat. 5. s. Quia peris omne, quod agitur, si non in humilitate custoditur. S. Greg.*

Erga Officium.

Exacta diligentia

Ob muneris dignitatem. a.

Reflexa experientia

Ob operationis facilitatem. b.

Invicta constantia

Ob coronationis necessitatem. c.

a. Juxta monitum Ecclesiastici c. 33. *In omni opere tuo pracellens esto. b. Quia juxta proverbium Experientia est optima Magistra rerum. c. Quia incassum bonum agitur, si ante terminum deseratur. S. Greg. l. 1. moral.*

Erga Executionem.

Pura intentio a.

Ad augendum meritum.

Studiofa operatio b.

Ad implendum officium.

Generosa resignatio c.

Ad tranquillandum animum.

a. Juxta consilium S. Pauli 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. b. Ut dicere possit suo modo cum David 1. Par. 29. Tuis viribus preparavi impensas domus DEI mei, seu actionem hanc vel illam; non enim homini preparatur, sed DEO. c. Quia DEVS est causa illius; quod quaris, contentus eris, quomodounque evenias. Thom. Kemp.*

Erga Incitamenta.

Crede DEI presentiam, a.

Quia summus Spectator est.

Spca

Spera promissam Gloriam,

Quia summum primum est. b.

Ama tui Victoriam,

Quia summum imperium est. c.

a. Quidni enim potiori jure dicat Sacerdos, quam Episcopus: Hec ego non multis, sed tibi, satis enim magnum alteri theatrum sumus. b. Juxta ipsius DEI testimonium Ego ero merces tua magna nimis. Gen. 15. c. Nam irrogare sibi maximum imperium est, ut jam olim Sapientes pronuntiârunt.

Erga Pericula.

Degusta vinum modicè

Ob vitandum scandalum. a.

Age cum Feminis Angelicè

Ob cavendum periculum. b.

Tracta pecuniam cautè

Ob fugiendum vitium. c.

a. Juxta S. Pauli consilium Timotheo c. 1. datum: Ab dico vino utere propter stomachum tuum, & crebras egrotationes tuas. b. Ita S. Cyprianus de lingul. Cleric. dum ait Sic agite, ut semper in Clericis Ecclesiæ Senatus candidus consistet. Severitas in vobis circa feminas vigeat, auctoritas patet, vigor teneatur, gravitas veneretur. c. Quia Damone gravius est pecuniarum cupiditas, teste S. Chrysostomo, Hom. 4. in c. 12. 30. quâ multi magis persuasi sunt, quàm Ethnicis Idolis, quibus non omnia parent, huic verò omnia, & quodcumque faciendum suggerit, obsequuntur.

Erga Redditus.

Moderata procuratio

Secundum necessitatem. a.

Studiosa conservatio

Secundum aequitatem. b.

Recta dispensatio

Secundum pietatem. c.

a. Ita S. Paulus i. Tim. 6. Habentes alimenta, & opus tegamur, his contenti simus. b. Quia patrimonialia pauperum sunt facultates Ecclesiarum, teste S. Bernardo. c. Juxta

Iud. Luc. 17. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens? & beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sic facientem.*

§. VI.

Observanda circa actiones quotidianas.

DE TEMPORE MATUTINO.

Surgè manè velociter

Suadente aqutate. a.

Vestire clericaliter

Suadente honestate. b.

Offer preces hilariter

Suadente pietate. c.

a. Juxta monitum Ecclesiastici c. 32. *Hora surgendi no-
terices. b.* Ut ipso vestitu ostendat, se consilium S. Pauli
secutum: *Induimini Dominum nostrum IESVM Christum.*
Rom. 13. *c.* Ita Salomon Prov. 3. *Honora Dominum de
sua substantia, & de primitiis frugum tuarum, & abunda-
bunt horrea tua frumento, & vino torcularia redundabunt.*

De Meditatione.

Sit preparata optimè

Ad congruum affectum. a.

Sit absoluta integrè

Ad solidum profectum. b.

Sit ordinata practicè

Ad plurimum effectum. c.

a. Juxta illud Ecclesiastici c. 18. *Ante orationem prepa-
ra animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEVM.*
b. Ut experiatur, quod David Psal. 38. dixit: *Concaluis cor
meum in ira me, & in meditatione mea exardescet ignis. c.*
Quia teste Cassiod. super Psal. 16. *Illius est perfecta oratio,
cum & causa clamat, & lingua, & actus, & vita.*

De Oratione vocali.

Sit humilis & reverens

Quoad corporis dispositionem. a.

Sit

Sit prudens atque diligens

Quoad mentis attentionem. b.

Sit ardens atque permanens

Quoad affectus intensionem. c.

a. Quia humilium & mansuetorum semper DEO placet deprecatio. Judith. c. 5. b. Quid enim potest strepitus labiorum, ubi cor est mutum? Neque enim verba deprecantis DEUS attendit, sed orantis cor aspicit. Ibid. de fumi. bono l. 3. c. 1. c. Nam virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Veraciter orare est, non in compunctione gemitus, & non composita verbarum. S. Greg. in mor.

De Mensa.

Præmitte benedicite,

Vt pius agnoscaris. a.

Quod fumis, fume modicè,

Vt finem consequaris. b.

Perolve grates impigrè,

Vt sapius pascaris. c.

a. Quia mensa ab Oratione sumens initium, & in Orationem desinens nunquam deficiet, juxta S. Chrysoft. b. Ita Israhel. suadens c. 4. Cibus tuus, quo vesceris, eris in pondere. c. Juxta Moysis consilium Deut. 8. datum: Cum comederis, & saturatus fueris, benedicas Domino DEO tuo.

De Recreatione.

Post mensam curas abjice,

Ne fixa mens gravetur. a.

Aptam quietem elige,

Ne corpus enervetur. b.

Honestam verba loquere,

Ne spiritus laxetur. c.

a. Nam sicut nimia frangit arcum intensio, ita neglecta animus enervat remissio, ut habet commune adagium. Si enim secundum corpus ut iumentum facti sumus apud DEUM, teste S. David Psal. 72. Quidni sua quoque iumento hinc ad reparandas vires vicissitudo ac quies concedatur? c. Sic enim fornax cito calorem perdit, si aperto ostio, frigida autem concedatur aditus, ita facile quoque devotionis evanescit spiritus, si ostium lingua per discussa colloquia laxetur. S. Bern.

De Conversatione.

Sit sancta conversatio,

Vt Clericus puteris. a.

Æqualis sit dilectio,

Vt nullum asperneris. b.

Sit efficax locutio,

Vt plurimos lucreris. c.

a. Nam quoties loqueris, toties scito, te morum tuorum chirographum aliis exhibere, juxta illud: loquere, ut videam te. Wido. b. Decet enim æqualem esse mensuram affectionis, ubi par est causa dilectionis. c. Quod fiet, si sermo ante, quam proferatur, librâ Iustitiæ examinetur, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, & in verbis modus. S. Ambr. 1. offic. c. 2.

De Visitatione Aegrorum.

Hos visita velociter

Pro obligatione. a.

Alloquere suaviter

Pro consolatione. b.

Hortare efficaciter

Pro confortatione. c.

a. Ad exemplum Christi dicentis: Veniam, & curabo eum. Matth. 8. b. Quia qui dulcis est eloquio, commendatorem reddit doctrinam. Favus mellis verba composita. Prov. 16. c. Ut medicinam, quam corpori ægro afferre non potest, suppleat per animum salubriter confortatum.

De Cura Moribundorum.

Fac, ut discedant liberè

Post facta testamenta. a.

Ut disponantur optimè

Per sumpta Sacramenta. b.

Ut muniantur validè

Ad Hostis testamenta. c.

a. Juxta Isaïæ c. 38. monitum: Dispone domui tuae, quia mortuus es tu, & non vires. b. Juxta Christi consilium Matth. 5. Eslo consentiens Adversario tuo citò, dum es in itinere. Instru. IV. S. c. 177

sum eo; ne forte tradat te Adversarius Iudici, & Iudex tradat te Ministro, & in carcerem mittaris. Et juxta monitum Evangelii Eliæ 3. Reg. 19. datum: Surge, & comede; magna tibi restat via. c. Quia Adversarius noster Diabolus tempore maximè circumit tanquam Leo rugiens, quærens quem devoret.

De Visitatione Captivorum.

Amica consolatio

Ne animo languescant. a.

Honestæ occupatio,

Ne otio torpescant. b.

Zelosa adhortatio,

Ne merito decrescant. c.

a. Hoc est, quod Salomon Prov. 31. monuit dicens: *Date siceram (consolationis) mœrentibus, & vinum (confortationis) his, qui amaro sunt animo: bibant, & liviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur.* b. In carcere enim vel maximè multam malitiam docuit, uti multiplici experientia compertum est. c. *Propter enim perditio hæc tanti temporis, & tam præclaræ occasio merita augendi?*

De Confessione audienda.

Exacta audientia

De peccatis admissis. a.

Severa reticentia

De secretis commissis. b.

Discreta pœnitentia

De delictis remissis. c.

a. Quia nescit justitiam observare sententia, qui non audit Perfectam habere notitiam causæ. b. Juxta illud Ecclesiastici c. 20. *Audisti verbum adversus proximum tuum (Pœnitentis contra seipsum) commoriatur in te, si tamen conscientiam non te dirumpet.* c. Hic enim vel maximè imitari debet illud Christi: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11.

De Sacramenti Eucharistiæ ministratio.

Honestaservatio,

Vi semper habeatur. a.

Zelosa exhortatio,

Vi sepius sumatur. b.

Fidelis distributio,

Vi lex adimpleatur. c.

a. Cùm delicia Christi sint, esse cum Filiis Hominum. Prov. 8. & Pastores sint illorum Discipulorum loco, quibus dictum est: *Euntes, parate nobis Pascha.* Luc. 22. b. Nam Pastoribus perinde, ut olim servo convenit Mandatum illud Luc. 14. *Exi eisdem in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & tectos, & claudos introduc huc.* c. Juxta monitum Christi: *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis Margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.*

De Concione.

Apposita sit. a. & solida. b.

Quoad materia inventionem.

Excocta bene. c. & fervida

Quoad forma dispositionem. d.

Decore multo prædita

Quoad ipsam elocutionem. e.

a. Ne dum parvis sublimia, & non profutura prædicat, se magis curet ostendere, quam Auditoribus prodesse. S. Creg. b. Ut jure usurpare possit illa verba: *Audi Fili verba mea, verba suavissima, & omnem Philosophorum & Sapientium locutus mundi scientiam excedentia. Verba mea Spiritus & Vita sunt.* Thom. Kemp. l. 3. c. 3. c. Alioqui qui ascendit sine labore, descendet sine honore. d. Non enim sectari debet lenocinia Rhetorum, sed veritates Piscatorum. Sermo meus (debet dicere posse cum S. Paulo 1. Cor. 2.) & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis. e. Quia quod patinæ cibo, hoc elocutio Verbo DEI præstat; alterutrum horum fastiditur, si illorum alterutrum fordescat.

De Catechesi.

Hanc magni semper æstima,
Vt par est æstimari. a.
 Crebro tuis deprædica,
Vt par est commendari. b.
 Summa cum cura explica,
Vt par est observari. c.

*a. Quia Adolescens iuxta viam suam (à Catechista edo-
 tam) etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22. At
 surpans illud Christi: Sinite parvulos venire ad me, &
 prohibueritis eos. Marc. 10. c. Ne justè audiat querela
 lam: Parvuli petunt panem, & non est, qui frangat
 Thren. 4.*

De Somno.

Somni quietem excipe
Vt brevè moriturus. a.
 Arcana mentis discute
Vt Iudicem passurus. b.
 DEI favores recole
Vt plures percepturus. c.

*a. Juxta illud Luc. 12. Hæc nocte animam tuam
 tent à te, & qua parasti, cuius erunt? b. Si enim nos
 ipsos diiudicavimus, non utique iudicavimus. 1. Cor. 11.
 Nam ingiter sibi subvenire facit, cui collatum benedictum
 oculos semper assistit. Cassiodor. super Psal. Quoniam
 Quod non intelligis, dum legis, cognosces in die
 Visitationis. Thom. Kem.*

b. 3. c. 3.

